



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelia Geographiae Veteris Et Novae

Parallelia Geographica Italiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

§. 2. De finibus Galliæ Cisalpinæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13120

Hatis ex variis nationibus Cenomanis, Aruernis, Senonibus, Boiis & aliis in Italiam transire molitus, consedit primum in parte Gallia quæ postea Narbonensis dicta est, vbi & Massiliensibus auxilio fuit; at hæc condita Olymp. 45. Vrb. cond. 154. Tarquinij Prisci 14. quando contigit

Prima Transmigratio cùm per Alpes Taurinas transiit cum Insulibus suis Bellouesus, & regionem ad Mediolanum occupauit.

Secunda Migratio, seu *expeditio* fuit Cenomanorum paulò post sub Elitouio duce, per eisdem Taurinas Alpes. De tempore hoc statui potest, eos non multis annis interiectis transiisse, quia Liuius lib. 5. ait eos Alpes transiisse Belloueso fauente.

Tertia expeditio Libicorum fuit, sed quo Duce, aut tempore non constat; & eodem itinere cum superioribus, ex Liuio, videntur transiisse.

Quarta Migratio, Boiorum fuit, & Lingonum, qui non videntur eò irrupisse ante annum Vrbis conditæ 232. Olymp. 64. annum 3. Tum enim Umbri cum Etruscis qui Padum accolebant, oppugnabant Cumas, vt ait Dion. Halic. lib. 7. at Etrusci expulsi sunt à Boiis & Lingonibus, vt habet Liuius.

Quinta denique & extrema expeditio, fuit Senonum quæ incidunt videtur in annum V. C. 359. tunc enim ait Liuius lib. 5. Etruscos dixisse in concilio non posse se iuuare Veios contra Romanos, quod haberent nouos incolas Gallos cum quibus nec pax satis fida, nec bellum pro certo esset. Certè iidem post quatuor annos hoc est Olymp. 97. an. 2. Clusium obsederunt, & sequenti Romanam incenderunt V. C. 364. Olymp. 97. an. 3.

Quæritur utrum hi Galli vrbes habuerint, an tantum in vicis habitarint? Qui negant vrbes condidisse, nituntur auctoritate Plini lib. 19. cap. 1. & Strabonis lib. 5. ex Polybio, vbi vocatur Mediolanum vicus, additürque Gallos vicos incoluisse. Qui aiunt, inituntur Plutarcho dicenti in Camillo Gallos in 18. yrribus Etruscorum quos depulerant, habitasse.

§. 2. De Finibus Galliæ Cisalpinæ.

QVID QVID terrarum fuit ab Arsia Fluvio ad Æsim usque, & Anconam, & à Varo Fl. ad Arnum sub Coss. Romanis Galliæ Cisalpinæ adjudicatum est. De Arsia Fl. probatur; quia lanæ Alt.

Parall. Geogr. Tom. II.

Xxx

nates Gallicæ dicuntur apud Columelam de re Rust. lib. 7. cap. 2. & apud Vibium Seq. Timauus Aquileiæ, Galliæ fluuius est. Apud Melam lib. 2. cap. 4. Carni & Veneti colunt Galliam Togatam. Aliquando tamen Veneti excluduntur à Galliâ Cisalpinâ; sic alueus citimus Padi dicitur Venetos à Galliâ Cisalpinâ dirimere.

De Anconâ citari solet idem Melaloco iam laudato: *Ancon inter Gallicas, Italicasque gentes quasi terminus interest: sed clarius Plinius lib. 3. cap. 14. Ab Anconâ ora Gallica incipit, Togatae Galliae cognomine.* Vulgo tamen Rubicon Fl. hodie Fiumecino, aut Rugone statutus est ab eâ parte Galliæ limes; ita Cicero 6. Philippicâ, Plutarchus in Iulio, Suetonius, Appianus in ciuilibus, Lucanus, Plinius, &c. Hanc tamen opinionum varietatem conciliat Strabo libro quinto, dum ait: *limes sepe à Magistratibus mutatus est, & primum Esim voluerunt, postea Rubiconem.*

De Arno fluuio, & quod Liguria eò usque protracta, sit adiudicata Galliæ, arguit is locus ex Suetonio in Iulio, vbi dicuntur Crassus & Pompeius Iulium conuenisse Lucam, in urbem provinciæ suæ; at Luca iacet inter Macram & Arnum.

§. 3. De Alpibus Galliam Cisalpinam ambientibus.

N V M E R V S I. Nomen.

ALPES in plurali, & Alpis in singulari Poëtis, & in Itinerariis, in Alpe Graiâ, Pæninâ; Græcis Αλπις 105. Hoc nomen habere dicuntur primò à candore, nam Festus ait Sabinos *album* dicere *alpum*. Secundo ab altitudine, nam Galli altitudines montium vocant Alpes inquit Isidorus Orig. lib. 14. cap. 8. & Seruius in 10. Æneid. vnde factum ut montes Pyrenæi & Carpathos Alpes vocarentur. Tertiò à transitu, sic enim Galli transitum inter angustias, inquit Procopius lib. 1. Goth. Quartò ut Mythologi ab Albione, vel alebione filio Neptuni qui hic contra Herculem dimicans occidit. Quintò ut vult Tzetzes in Lycoph. à quodam *Alpi* qui hic interfactus est.

TAVRI ut pluribus probare nititur Cluuerius, vnde & populi Taurisci dicti: certè in Norico nominibus illis additur vox illa *Tauri*, & aliter *Alben*, ut *Felber-Tauri*, seu *Felber-Alben*.

RIPHAEI montes; sic disertè Athenæus lib. 6. cap. 4. *Alpium*